

Scripturæ conformior, ut satis constat ex his, quæ secundo loco adduximus. Unde constat, si divisio illa actus humani in bonum et malum non intelligatur de bonitate, et malitia specifica, et ex objecto, sed absolute de bono et malo ex quocumque capite, et quovis modo sive accidentali, sive essentiali, sic divisionem esse adæquatam, nullumque reperiri actum humanum, qui non sub altero illorum membrorum comprehendatur, nam licet detur actus ex objecto indifferens, ille semper ex alio capite, aut bonus, aut malus existit. Addendum vero est hoc intelligendum esse de actu humano, ut humanus est, et deliberatus, non quacumque ratione, sed sub ratione turpis, vel honesti, ita ut in potestate libertatis voluntatis sit de illo sub hac ratione deliberare: nam si fortasse dum homo operatur naturaliter non advertat, neque consideret de fine honesto, nec de obligatione referendi suum actum in talem finem excusari facile poterit ab ea malitia, quæ est in actu indifferente otiose facto, ut ex D. Thoma 1, 2, quæst. 18, articulo nono, et Cajetano ibidem sumi potest, et tunc actus in re ipsa erit carens bonitate et malitia, et ea ratione dici poterit indifferens: tamen ut sic, vere non est actus humano modo factus: supponimus enim talem inadvertentiam esse omnino involuntariam. Est etiam hoc per se intelligendum, nam per accidens, interveniente scilicet ignorantia, nihil vetat posse reperiri actum in individuo absque bonitate et malitia, ut si quis iudicet contrariam opinionem esse probabilem, et juxta illam formet dictamen practicum sibi non esse malum hic et nunc ita operari, actus carebit malitia ratione ignorantiae, et aliunde non habebit bonitatem, quia neque est in objecto, neque in fine, neque operans illam intendit: tamen hujusmodi actus etiam reduci potest ad actum non humanum sub ea ratione, qua ab ignorantia procedit, et hoc modo exposita D. Thomæ sententia facilis est, et ad praxim etiam facile potest applicari; argumenta vero in contrarium n. 2, ex dictis facile possunt expediri.

DISPUTATIO X.

DE BONITATE ET MALITIA FORMALI EXTERIORUM ACTUUM HUMANORUM.

1. *Consulatur pro hac questione auctor, lib. 12, de Gratia, cap. 6.* — Actus exteriores hic dicuntur omnes, qui non sunt elicti a voluntate, sed solum imperati, unde comprehen-

duntur etiam sub hoc articulo actus appetitus sensitivi, et actus etiam intellectus, dummodo humani sint, saltem per denominationem actus voluntatis: nam alioqui non erunt capaces bonitatis et malitiæ; actus autem quidam voluntatis, qui ab aliis actibus ejusdem voluntatis imperati sunt, quamvis sub ea ratione possint dici exteriores, ut supra, disp. 5, cum Cajetano diximus: tamen in præsentis disputatione excluduntur, quia et tales actus simpliciter sunt interiores et elicti, et quia de illis saltem multa dicta sunt: quamvis etiam ea, quæ dicemus, facile possint ad illos accommodari: non distinguimus autem in præsentis tractatum de bonitate et de malitia, neque singula capita, seu principia earum, quia suppositis jam dictis res est facillima, et brevissime expediri potest.

SECTIO I.

Utrum actus exterior sit bonus, vel malus solum per denominationem ab interiori, ideoque nullam ei addat bonitatem vel malitiam.

1. *Prima opinio.* — Omissis sententiis supra, disp. 3, sect. 2, refutatis eorum, qui dicebant totam bonitatem, vel malitiam esse in actu exteriori, et ab illa interiorem denominari: est alia opinio Scoti, quodlibet 18, art. 3, qui licet concedat formalem bonitatem primario esse in actu interiori, addit tamen aliqua ex parte etiam esse in exteriori, qui per se consideratus aliquid addit bonitatis, et malitiæ ipsi interiori, quod videtur prius sensisse Alensis, 4 part., quæst. 77, membr. 3, art. 5, et uterque citat Augustinum, de Trinitate, c. 5, dicentem: *Mala voluntate quisque miser efficitur sed miserior potestate, qua desiderium malæ voluntatis impletur*: non enim aliquis potest dici miserior propter majorem pœnam, quia hæc non est major, nisi sit major culpa: ille igitur, qui exequitur voluntatem pravam, miserior dicitur, quia magis peccat, et tamen illa executio tantum addit exteriorem actum interiori voluntati: est ergo in illo nova et specialis malitia. Ratio autem Scoti est, quia in ipso actu exteriori per se sumpto sunt propria principia bonitatis et malitiæ, id est, proprium objectum propriæque circumstantiæ, quas ratione sui requirit secundum rectam rationem: unde ex se habet conformitatem et difformitatem propriam cum ratione recta, et per se præcipitur, vel prohibetur: est ergo per se capax propriæ bonitatis et malitiæ. Probatur

consequentia; quia ubi sunt sufficientia principia, est etiam proprius effectus, præsertim cum nihil fit, quod impedire possit. Nam si quid obstaret, maxime esset quod actus exterior pendet ab interiori, et non est liber nisi per illum: sed hoc nihil obstare videtur, quia illa dependentia actus exterioris ab interiori est a principio efficiente, seu applicante; quamvis autem unus actus ab alio manet, potest habere in se formaliter proprietates sibi ex principiis suis extrinsecis convenientes, sicut etiam electio manat ab intentione, et ab illa habet totam libertatem suam, præsertim quando medium est unicum, et nihilominus est capax suæ bonitatis et malitiæ: imo ipsemet actus interior est liber per denominationem a potentia, a qua effective manat, ut supra dictum est, et hoc non obstat quominus ex propriis principiis habeat bonitatem, vel malitiam formalem.

2. *Secunda opinio.* — Secunda sententia esse potest, in actu quidem exteriori esse intrinsece bonitatem et malitiam, non tamen distinctam a bonitate et malitia actus interioris, sed in utroque esse unam et eandem, quia, licet actus interior et exterior physice distincti sint, tamen componunt unum, quod est adæquatam subjectum illius bonitatis: in formis autem accidentalibus non repugnat eandem formam esse in diversis subjectis partialibus componentibus unum, sicut est in figura domus, et forma numeri, quæ opinio tribuitur Bonaventuræ loco infra citando.

3. *Tertia opinio.* — Tertia opinio distinguit inter bonitatem et malitiam, ita ut bonitas sit tantum in actu interiori, in exteriori vero tantum per denominationem extrinsecam; malitia autem fit intrinsece, et formaliter etiam in actu exteriori: et ratio differentiæ reddi potest ex alia supra posita inter actum bonum et malum, nam ut actus sit formaliter bonus; debet tendere in objectum honestum, qua honestum est, quod non potest convenire actui exteriori: ut autem sit malus, non oportet ut tendat in objectum turpe, quatenus tale est, sed satis est, quod versetur circa objectum, vel materiam rationi contrariam, quod potest convenire actui exteriori, et ideo est capax propriæ malitiæ, licet non propriæ bonitatis, quod potest confirmari illo argumento a posteriori, quia alias non oportet exteriorem actum, confiteri, si non habet distinctam malitiam, et culpam præter interiorem.

4. *Quarta opinio.* — Quarta opinio aliter distinguit ex parte actuum externorum, nam

in his, quæ sunt omnino externi, ut in actionibus potentiæ executivæ, dicunt nullam esse intrinsece bonitatem, vel malitiam propter ea, quæ statim dicemus, in actibus vero aliquo modo internis, quamvis a voluntate imperatis non elictis, ut sunt actus intellectus, vel appetitus sensitivi, dicunt esse proprie intrinsecam malitiam formalem: ita Medina, 1, 2, quæst. 20, art. 3, quia peccato hæresis, prout est in intellectu, est propria malitia, similiter in delectatione morosa prout est in appetitu sensitivo; et potest confirmari, quia etiamsi voluntas nullum actum positivum eliciat, delectatio morosa cognita, prævisa, ac permissa est mala, et non per denominationem ab actu voluntatis, quia nullus est; ergo quia in se formaliter habet propriam malitiam.

5. *Prima assertio.* — Dicendum primo formalem bonitatem actionis humanæ solum esse intrinsece in interiori actu voluntatis, in exterioribus vero solum esse per denominationem tantum extrinsecam: hæc est sententia divi Thomæ 2, 2, quæst. 20, præsertim art. 3, et 3, cont. Gent., c. 9, de Malo, a. 3, et communis in 2, dist. 42, ubi Durandus, q. 1, Gabriel, a. 1, notabili 2, et a. 2, conclus. 1, Richardus, q. 1, q. ... Bonaventura, art. 1, q. 1, nam licet dicat actum humanum ex interiori et exteriori compositum, esse unum subjectum adæquatam bonitatis, tamen loquitur de subjecto denominationis, non inhæsionis, nam intrinsece plane sentit illam bonitatem esse in solo actu interiori, imo Scotus ibi ad secundam et quartam quæstionem eandem sententiam significat, dicens bonitatem esse formaliter in voluntate, materialiter vero in actu externo: idem late Almainus, tract. 3, Moralium, c. 18, Ockham, in 3, q. 10, dub. 3, et quodlibet. 1, q. 20, et quodlib. 5, q. 14.

6. Fundamentum præcipuum est illud supra insinuatam, quod ille actus humanus est formaliter bonus et ratione sui, qui formaliter tendit in objectum honestum, quatenus honestum est, nam hoc est quod bonum facit operantem, et a quo pendet tota virtus, et rectitudo ejus: sed hoc convenit actui voluntatis tantum, et non actionibus externis, ergo. Unde confirmatur, quia ipsimet actus voluntatis, si non tendant in objectum honestum ut sic, non sunt formaliter boni, sed ad summum indifferentes; quod si imperentur ab alio actu bono, efficiuntur boni ab alio actu imperante, per denominationem extrinsecam, ut supra dictum est: ergo multo magis idem accidet in actibus omnino externis. Unde confirmatur secundo,

nam quantumvis actus exterior ex se bonus, et conformis videatur rationi, si tamen a malo interno actu, seu prava intentione et electione imperetur, non est bonus, quatenus actus humanus est : ergo signum est in ratione actus humani solum esse bonum per denominationem ab interiori actu : simile argumentum est, quia actus exterior præcise, et per se sumptus non addit homini formalem bonitatem moralem, nec reddit illum magis studiosum : si enim intelligamus aliquem existimantem se posse exequi exteriorem actum virtutis, habere efficacem voluntatem exercendi talem actum cum rectus est, et studiosus, sive possit revera exequi, sive non possit, quia virtus non pendet ex facultate, quæ nobis invitis deesse potest, sed ex voluntate, supposito quod voluntas æqualis sit, quod amplius constabit ex sequenti assertionem, quæ ex hac sequitur.

7. *Secunda assertio.* — *Satisfit quidam solutioni allatæ in num. 1.* — Dicendum secundo. Idem est de morali malitia formali et propria, quæ hominem malum et peccantem constituit, totam scilicet esse intrinsece in voluntate, in exterioribus autem actibus per denominationem solum a voluntate : ita prædicti auctores, qui expressius de malitia, quam de bonitate loquuntur, et rationes fere sunt eadem. Prima, quia licet actus malus non tendat in malum sub ratione mali, tamen debet esse aliquo modo capax bonitatis saltem secundum communem rationem talis actus, malitia ergo formalis tantum esse potest in eo genere actus, quod est capax bonitatis formalis : huiusmodi autem est actus interior, non exterior, ut dictum est. Major patet, tum quia bonitas et malitia formalis, quæ opposita sunt, debent versari aliquo modo circa idem : ergo circa eandem voluntatem, seu circa actum ejus ; tum etiam quia malitia habet rationem privationis saltem respectu subjecti : ergo in illo actu est proprie, in quo subjectum, seu voluntas deberet ponere bonitatem : sed voluntas non debet bonitatem formalem, nisi suo interiori actui : ergo in actu interiori habet rationem privationis, et malitiæ carentia bonitatis debita. Secunda ratio est, quia actus exterior idem omnino manens est malus, vel non malus per mutationem solam interioris actus, et similiter augetur, et minuitur in bonitate, et malitia, quatenus procedit a voluntate magis, vel minus mala ; idem enim furtum externum factum ex majori, seu intensiori affectu voluntatis, est majus peccatum : ac denique æqualis voluntas æquale peccatum est, sive exterior

actus accedat, sive non : ergo, etc. Tertio est communis ratio, quia actus exterior solum est humanus per denominationem extrinsecam ab actu interiori : ergo similiter solum habet differentias, seu proprietates actus humani quæ sunt formalis bonitas et malitia, per denominationem ab actu interiori. Neque obstat solutio supra, n. 1, insinuata de libertate, seu de prudentia effectiva unius actus ab alio, nam in actu humano, ut sic, et est ratio *voluntarii*, et ratio *liberi* ; et quamvis ratio *liberi* consummetur per denominationem aliquam extrinsecam, etiam in actu interiori, et ideo libertas ut sic possit dici tantum conditio quædam, ut bonitas, vel malitia attribuat moraliter operanti ; tamen ratio *voluntarii* intrinsece convenit propriis, et per se actibus humanis, et ideo non est conditio tantum, sed ratio intrinsece requisita ad propriam, vel formalem bonitatem, et malitiam : propter quod dixit Augustinus : *Peccatum in tantum esse peccatum, in quantum est voluntarium* : actus ergo exterior, qui non est intrinsece voluntarius, sed tantum per denominationem extrinsecam, solum eodem modo potest esse bonus, vel malus.

8. *Primum corollarium.* — Ex hac resolutione sequitur primo in actu exteriori et interiori unicam tantum esse bonitatem et malitiam suo modo indivisibilem, quæ propterea esse non potest intrinsece, et quasi in hoc, sive in utroque actu, sicut opinio secunda, in n. 2, assererat, neque est simile quod de aliis accidentibus adducit ; nunquam enim unum accidens potest esse in multis subjectis, nisi sit aliquo modo extensum, et partialiter sit in singulis, ut patet in numero et figura : cujus signum est, quia ablata aliqua parte subjecti vel omnino tollitur, vel minuitur tale accidens : non est autem ita in præsentibus, quia ablato actu exteriori, tota bonitas manere intelligitur in interiori : est ergo tantum in illo intrinsece, extrinsece vero in exteriori, et per denominationem quamdam.

9. *Secundum corollarium.* — *Satisfacit confirmationi in fine num. 3.* — Secundo sequitur recte a theologis dici actum interiorum et exteriorum in genere moris non esse plures, sed unum actum, licet Scotus, dicto quodlibeto, interiorum actum et exteriorum vocet duo peccata, quomodo etiam loquuntur Gabriel et Ocham, supra, et Gregorius, in 2, dist. 42, etiam tenendo totam bonitatem et malitiam esse in interiori actu, quia ad illam pluralitatem existimant sufficere subjectorum distinc-

tionem, quamvis forma denominans sit eadem, sicut animal, medicina, etc., dicuntur plura sana, licet ab eadem sanitate denominentur ; tamen priori modo loquitur D. Thomas supra citatus in 1, 2, et in 2, dist. 42, q. 1, et ibi Bonaventura, Richardus, locis citatis, Ægidius, q. 1, a. 1, Capreolus, q. 2, art. 3. Ratio autem est, quia licet actus interior et exterior physice sint distincta, tamen exterior comparatur ad interiorum sicut materiale ad formale, et in genere moris censentur habere unum esse, quia habent unum voluntarium, unam libertatem, unam bonitatem, vel malitiam, unde ita sunt subordinati, ut unum component, neque exterior habet rationem actus humani, nisi ut substat interiori. Expediturque obiter difficultas, in fine n. 3, tacta de confessione actus exterioris. Respondetur enim esse confitendum, quia licet in se non habeat propriam malitiam distinctam ab interiori, tamen revera est actus peccati unus cum interiori, et ideo cum illo per modum unius in confessione declaramus, præsertim quia quando actus interior prodiit in exteriorum, moraliter loquendo, non potest ejus malitia tota declarari, nisi declarato toto actu morali, prout in re fit. Adde etiam interdum oportere exponere exteriorum effectum, quamvis jam non sit actus humanus, ut possit confessor intelligere obligationem, quæ inde penitenti resultat, vel censuram, quam contrahit, vel medicinam, qua indiget. Hic vero occurrebat statim disputatio. Si actus exterior et interior sunt unum moraliter, quando multiplicentur secundum numerum : sed hæc quæstio si physice sumatur est imperitina et uno verbo expeditur potest, scilicet tunc multiplicari, quando actus exteriores multiplicentur, et singuli habent propriam bonitatem, vel malitiam : si autem intelligatur moraliter, solum habet locum in ordine ad confessionem, et ideo ad illam materiam spectat, ubi fuse eam tractavi.

10. *Objectio contra secundum corollarium diluitur.* — Objici potest contra dictam secundam illationem, quia actus interior et exterior diversis præceptis prohibentur, scilicet 6, 7, 9 et 10 ; ergo sunt actus diversi etiam moraliter. Respondetur nullo illorum præceptorum prohiberi solum actum exteriorum, sed in altero prohibetur actus exterior, ut humanus ab interiori procedens. Unde simul prohibetur interior illi conjunctus, quia non potest exterior esse malus separatus ab interiori ; in alio vero prohibetur solus actus interior, quia potest esse malus separatus ab exteriori, et revera

per alterum illorum præceptorum erat virtute prohibitum quidquid per alterum prohibetur, oportet tamen illa distinguere propter ignorantiam hominum, qui putabant interiorum voluntatem non esse prohibitam ; si non exit in actum exteriorum.

11. *Tertium corollarium.* — Tertio infertur doctrinam hanc de actibus externis eodem modo procedere in actibus intellectus et appetitus sensitivi, quo in aliis, ut probant rationes factæ : quia actus intellectus non habet proprium voluntarium, aut liberum : actus autem appetitus licet aliquo modo voluntarius sit, est tamen imperfecte, et non potest tendere in honestum, ut sic. Unde si in intellectu, vel appetitu aliquis actus reperiatur sine consensu voluntatis propter ignorantiam, vel inculpabilem inadvertentiam, nulla est malitia. Unde ad illud argumentum de hæresi, in n. 4, respondetur prout est in intellectu ex se esse malam objective, tamen formaliter, et in ratione actus humani non esse malam, nisi prout subest voluntati, et idem dicendum de delectatione morosa, et ita responsum est ad quartam opinionem. Ad argumentum ibi factum in eodem modo num. 4. Quando huiusmodi motus mali sunt ex sola carentia voluntatis actus, respondet Almainus supra tunc esse in voluntate malitiam omissionis, et ab ea denominari actum exteriorum malum, sæpe enim hoc contingit : vel etiam dici potest, quamvis ibi non sit formalis actus, esse interpretativum et indirectum, nam tunc homo virtute vult delectari, vel errare, aut quid simile, et hoc satis est etiam ad malitiam commissionis in tali actu exteriori.

12. *Quartum corollarium.* — Quarto colligitur ex dictis, quomodo actus exterior sit malus vel in specie sua, vel ex fine, vel ex circumstantiis : omissa enim malitia objectiva, de qua supra, hæc omnia explicata sunt : dicendum est hæc omnia non afficere exteriorum actum, nisi mediante interiori, habet ergo actus exterior proxime speciem malitiæ ab interiori tanquam a forma : unde in ea specie virtutis, vel vitii constituitur, in qua est actus virtutis interior a quo procedit, quod recte significavit D. Thomas 3, contra Gentes, capite decimo. Quod si dicas omnem actum humanum sumere speciem ex objecto. Respondetur hoc esse verum servata proportione, nam actus interior sumit immediate, exterior vero mediante interiori, atque idem dicendum de bonitate, vel malitia circumstantiis, quod de una particulari tractavit D. Thomas, in citato loco,